



14

Programma  
 IN FVNERE  
 IOAN. MVNDE-  
 NI SLESVICENSIS  
 Holsati, adolescentis genere & virtu-  
 te ornatissimi,

P. P.

*III. eid. Sept. MDCXXXI.*



HELMAESTADI,  
 Ex typographia LVCIORVM.

14



IOHANNES M. V. N. D. F.  
IN  
HOLLANDIAE  
AMSTELÆDAMI

MDCCXXII

JOHANNES M. V. N. D. F.  
—————  
EX





PRORECTOR  
 ACADEMIÆ JULIÆ  
 CONRADVS HORNEIVS  
 S. THEOLOGIAE LICENTIATVS  
 ET PROFESSOR ORDI-  
 NARIVS

STVDIOSAE IYVENTVTI S. D.



Eteris Lyrici de vitæ nostræ fuga-  
 citate & inconstantia vox est:

Ἀνθρώπων θεῶν μήποτε φήσῃς ἢ γίνεσθαι,  
 Μὴδ' ἀνδρῶν ἰδῶν, ὅσων χρόνον ἔσσεσθαι  
 Ὀκεία γὰρ ἔδδ' ἑανυπερύγῃς μύθῳ  
 Οὕτως αἰ μεταστάσις,

*Homo cum sis, inquit, ne dicas quid futurum sit, Aut  
 cum hominem vides, quamdiu ille extiturus: Citius enim  
 mutatur, quam musca alas expandit, vt auolet. Idem  
 exprimere Poëtarum princeps voluit, cum genus  
 humanum caducis folijs compararet: notus enim  
 ejus versus est:*

οἷνεξ φύλλων γρηὴ τοίνδε καὶ ἀνθρώπων.

Alius eadem de caussa hominem ipsum non um-  
 bram aut somnium appellabat, etsi vtroq; illo ni-  
 hil leuius aut vanius est, sed οἷας ὄντας, vmbrae so-



mnium: alius bullam & si quid est simile. Nec diuersum ea de re S. Scriptura sentit, & ipsa nunc somnium vitam nostram vocans, nunc fumum, nunc florem, qui citò marcescit & decidit, nunc ventum qui transit & non reuertitur. Nihil verius his omnibus, ornatissimi iuuenes: ecquid enim plura colligere attinet? nihil certius: nec enim citius musca auolat, nec folium arbore defluit, bulla dissoluitur, aut somnium & umbra euanescent, vel fumus dissipatur, aut ventus deniq; transit, quàm homo rectè dudum, vt videbatur, valens, in morbum præcipitat aut mortem ipsam oppetit, nec tum tantum cum ei vis inferatur, aut acri veneno extinguitur, sed & cum ista absunt. Hujus rei triste admodum exemplum his diebus vidimus. Venerat huc ex Holsatia, primo vere, *IOANNES MVNDENVS* Slesuicensis, suasu, vt accepimus, amplissimi & prudentissimi Viri, *DN. CONRADI HILDEBRANDI* reip. Brunsvicensis Cos. primarii, propinqui sui, vt apud nos in litteris viueret, fratre etiam minore *CHRISTIANO* secum adducto, qui Brunsvici erudiretur. Erat autem corporis habitu & valetudine ita firma, vt non temere quisquam ei metueret. Verùm eheu! accidit die abhinc nono, cum necdum malè haberet, & ante prandium vna cum populari extra portam prodeambulatum exisset,

VE

vt repentina quædam animi defectio eum in viâ  
corriperet, qua, vt medicorum Principes loqui-  
tur, ἰσχυρῶς καὶ ἀνὰ φανερῆς ποσότητος ἐκλυόμενος. *vehemen-  
ter & sine manifesta caussa exolutus* subito tanquam  
exanimis concidit. Quod quidem morbi princi-  
pium eò atrocius fuit, quo minus quidquã antea  
in eò deprehensum fuerat, vnde tale quid ei im-  
minere conjectando etiam quis assequi potuisset.  
Sed occultum aliquod apostema delituisse alicu-  
bi oportet, vt medici statim censuerunt, & postea  
symptomata, quæ superuenerunt, id manifestum  
fecerunt: nam cum domum translatus esset & re-  
collectis spiritibus ad se nonnihil rediisset, non  
paruum in sinistro latere sub hypochondrijs do-  
lorem sensit, qui magis magisq; se diffundebat, vt  
ad imã vsq; abdominis partem extenderetur. Idẽ  
docuerunt purulenti humores quos magna copia  
ejecit. Accessit autem alterum, nec leuius malum:  
materia enim commota alius ita obstructa fuit,  
vt inuerso naturæ motu, contractoq; sursum ven-  
tre & contortis intestinis (iliacum morbum vo-  
cant medici) nihil ad eam laxandam vlla medica-  
menta, siue in os ingesta, siue per clysteres inje-  
cta, siue glandibus adhibita quidquam profice-  
rent: vnde perpetuæ vomitiones oriebantur.  
Nec tamen tam harum assidua vexatione ægri vi-  
res adeò citò exhaustas & collapsas esse putan-  
dum

dum est, quàm ex maligno vapore, quem rupta  
postematis sanies exhalabat, vitales cordis spiri-  
tus corruptos & extinctos. Ita ergò opt. adole-  
scens VII. eid. Sept. mane paullo ante horam V.  
in fata concessit. Natus erat anno M D C X. men-  
se Augusto, Patre viro amplissimo & prudentissi-  
mo, DN. *BERNHARDO MUNDENO*, ciuitatis  
Slesuicensis cos. seniori, matre *ANNA EST-*  
*CHIA*, viri itidem amplissimi & clarissimi DN.  
*EBERHARDI ESYCHII*, senatoris quondam  
reip. Hamburgensis filia. Est autem vtraq; fami-  
lia primaria, Mundenorum quidem Slesuici, ESY-  
chiorum verò Bremæ: inde enim *EBERHAR-*  
*DVS ESYCHIVS* ille adolescentis nostri auus  
maternus originem ducebat. Et habuit Brema  
plures ex Esychijs cos. & senatores jam ab anti-  
quo optimè de ciuitate illa meritos, quorum lau-  
des hac angusta charta exponi non possunt. Nec  
minus præclarè *EBERHARDVS* in rep. Ham-  
burgensi se gessit: erat enim vir eximiæ auctorida-  
tis & prudentiæ, cuius opera in legationibus ma-  
gni momenti ciuitas illa sæpenumero vsa est. Sed  
ad parentes *IOANNIS* nostri redeamus. Ex ijs  
Pater pridem decessit: mater autem adhuc super-  
stes est, cui nuncium hunc de filij obitu acerbis-  
simum futurum esse facilè conijcimus, quem qui-  
dem defuncto marito ipsa magna cura educarat:  
cum



cum enim rudimenta litterarum primò in patria edoctus esset, illa postea cum in disciplinam clarissimi viri, *DN. IOAN. KIRCHMANNI*, gymnasij Lubecensis moderatoris, tradidit, quo nihil sanè vtilius ipsi aut optatius contingere potuit: nam tanta *KIRCHMANNVS* non solum doctrina est, quæ ex scriptis etiam ejus à multis annis omnib<sup>9</sup> innotuit, sed & virtute atq; optimè de litteris merendi cupiditate, vt nec excellentiorem adolescentiæ informatorem facilè inuenias, & Lubeca eo meritò se jactet. Hujus viri institutione vsus vltra trienniū est, cum ita domi ejus viueret, vt præceptori carissimus esset & ad laudabilem in litteris profectum semper aspiraret, diligentia etiam sobrietatis & obædientia luculentum testimonium in patriam rediens secum ab ipso auferret. Postquam autem jam eò in studiis processisset, vt ad academiam ablegandus videretur, huc superiori vere, vt jam initio diximus, venit & ad Cl. ac consultissimum Virum, *DN. IOAN. THOMAM CLVDIVM* I. V. D. & Prof. ord. collegam nostrum honorandum, diuertit. Et sanè quamdiu apud nos vixit probitatem modestiam & litterarum acre studium ita omnibus, qui eum nouerunt, probauit, vt magnam de ipso spem conciperent. Sed Deo aliter visum, qui eum ad se in coelestem scholam maturè transtulit,

cum

cum vix XXI. ætatis annum compleuisset. Id  
ergò superest, vt opt. adolescentis piis manibus  
benè precemur & exuias ejus terræ mandemus,  
quod hora XII. pomeridiana fiet. Vos, nobilif-  
simi & ornatissimi iuuenes, quid vestri officii hîc  
sit ipsi intelligitis, nec expectabitis, vt eius à no-  
bis admoneamini. Quare frequentes tum con-  
uenietis & non tantum comilitonis vestri funus  
nobiscum deducetis, sed in primis id meditabimî-  
ni, quàm facile mors se etiam florenti ætati infe-  
rat, vt Deū timere in iuuentute discatis & ita eius  
auxilio vos comparare, vt cum ex hac statione i-  
pse vos euocarit nunquam imparati sitis. Vnâ et-  
iam vota facietis pro publica salute in discrimen  
supremum nunc adducta: nunquam enim ijs o-  
pus magis fuit.

*Νῦν γὰρ οὐκ ἔστι πάντες ἐπὶ ξύρῳ ἰσῆλαι ἀκμῆς*

*Ἡ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς, ἢ βιῶναι.*

Valete. P. P. Helmstadi in acad. Iulia III. eid.  
Sept. M D CXXXI.



35. Progr. in Jun. Ottiliae Steinmanni, Com. Hornesii conjug. 1661.  
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1663.  
 37. Fihnderi progr. orationis — a Braunfels praem. 1663.  
 38. progr. in Jun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.  
 39. — — An. Marg. Vogleri. 1666.  
 40. — — puellae Joh. Rinnersi. 1666.  
 41. — — puellae Joh. Rinnersi. 1666.  
 42. — — An. Eleon. Meieri. 1666.  
 43. Carmin. grat. ad Isusmannum. 1667.  
 44. Ode in caritatem. 1678.  
 45. Andr. Herm. Hellberg gratulantis Acad. Dulice prof. 1678.  
 46. Progr. Henrici Widenburgi. 1680.  
 47. Festo nupt. Carp. Anolvi Strambrecht. 1678.  
 48. Lact. ac debit. officium ad unicum. 1678.  
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum spurium et — Jonnam. 1679.  
 50. Progr. in Jun. matris. Bornemanniae, Tannmanni viduae. 1681.  
 51. Progr. Joh. Kemper. 1709.  
 52. Progr. in Jun. An. Cath. Rinerichiae, Hornesii conjug. 1649.  
 53. Progr. XII Nov. A 1693.  
 54. — in Jun. An. Soph. Schmerhenniae, Sibh. Theod. Meieri vid. 1702.  
 55. — Agnesae Kochner, Carp. Torberii vid. 1712.  
 56. Abhandlung von der abgelaugten Veigt.  
 57. Progr. in Jun. Hamburgii S. L. 1714.  
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.  
 59. Progr. in Jun. Carolis phil. stud. 1757.  
 60. Memoria Toppii 1757.  
 61. — Fiedlii. 1758.  
 62. — Laur. Heideri. 1758.  
 63. De vita Frobesii. 1756.  
 64. Gratia panegyri. in diem nat. prin. Frederici V, Saxon et  
 Norvegiae regis. 1759.  
 65. De des. priu. equito. Progr. sac. Thirli natal. his. 1762.  
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —


— Nonnulla deunt —


ULB Halle

3

001 920 952







B.I.G.

Farbkarte #13



14

amma

N E R E

# VNDE- ICENSIS

s genere & virtu-  
ssimi,

*P.*

DCXXXI



TADI,

VCIORVM.

14

